

ctu; sic etiam quemlibet dolorem contumacem è frigida causa ortum vel tollet, vel saltem demulcebit.

d Aegin. lib.

7. cap. 19.

Aetius tetr.

1. serm. 3. cap.

181.

Cauendum *d* autem à sinapismo in iis, qui continua febre laborant, vel vlcus habent in cartilaginosis & excarnibus locis: siquidem vlcera nimia acrimonia exacerbentur, partes vero ex carnes adurentur, interdum etiam nigrescant.

De Vesicatoriis.

C A P. LXII.

Vesicatoria medicamenta sunt, quæ non solum ruborem parti inducunt, vt faciunt sinapismi, sed etiam cutim, vesicas seu pustulas excitando, exulcerant, quod remedii genus *φοινυμός* veteribus, vt non nulli volunt, dictum.

Materia vesicantium multiplex est, præsertim nasturtium, flammula, lepidium, cyclaminus, sinapi, squilla, allium, vrtica, thapsia, esula, euphorbium, lac ficulneum, stercus columbinum, cantharides, metalla. Radices quidem in aqua vitæ macerantur, teruntur & applicantur. Compositi vero fiunt ex saponis nigri & salis æqua portione in emplastri modum mixtis. Hoc nullo fere dolore pustulas excitat; quemadmodum etiam flammula contusa, vel per se, vel cum sale applicata. Cantharides omnium citissime vesicas excitant. Solent autem & caput & alas, & pedes abiicere, & reliquum exactissime contundere, & cum tripla
axua;